



Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Virtute ac Sacrameto Pœnitentiæ

Bosco, Jean a

Lovanii, 1670

Concl. III. Hæ formulæ æquivalent formæ ordinariæ Sacramenti Pœnitentiæ: Tu absolveris à me. Petrus absolvitur à me. Iubeo te absolutum. Do tibi reconciliationem. Placet te esse absolutum. Placet ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73393)

constituere eandem propositionem cum verbis precedentibus, sive diversam.

Ratio est; quia hoc ipso quo ponuntur verba necessaria & sufficientia pro effectu Sacramenti, ille causatur; jam autem ante invocationem SS. Trinitatis, ponuntur verba necessaria & sufficientia ad effectum; adeoque habetur sensus perfectus, quatenus ad Sacramentum pertinet, est adhuc sequantur alia particulae per modum ejusdem orationis, dummodo non turbent, sive immutent priorem sensum, à Christo intentum.

Confirmatur; quia etiam illa verba: *In nomine Patris* &c. juxta formam, præscriptam in Rituali Romano, Tit. de Sacram. Pœnitentia sequuntur Absolutionem à censuris; omnes tamen censent, Absolutionem à censuris esse completam & perfectam ante illa verba.

Nota me superius dixisse: Ecclesiam in hoc Sacramento determinasse in individuo, hæc verba: *Ego te absolvo*, vel æquipollentia; nam si in Baptismo & Eucharistia non ita Christus determinavit certa verba, quin æquipollentia sufficiant, multo minus id fieri debuit ab Ecclesia in hoc Sacramento, quia, ut dixi ex Scoto supra concl. 1. *sufficit quod exprimat actus sententia absolventis*, quod fieri potest diversimodis formulis verborum, ut patet in judicio publico. Queritur ergo, quæ sint istæ formulæ verborum, & respondeatur:

CONCLUSIO III.

Hæ formulæ æquevalent formæ ordinariæ Sacramenti Pœnitentiæ: *Tu absolveris à me. Petrus absolvetur à me. Inbeo te absolutum. Do tibi reconciliationem. Placet te esse absolutum. Placet quod tu absolvaris, vel, quod absolvatur hic homo. Absolvat te Deus, seu, Absolvatur talis servus Christi, in sensu imperativo, secus deprecativo.*

Scotus 4. disp. 14. q. 4. n. 4. sic ait: *Non est necesse esse ut præcisa verba in isto Sacramento (Pœnitentiæ) sicut in Baptismo, vel Eucharistia; quia sufficit quod exprimat actus sententia absolventis, sicut & in iudicio publico non oportet esse limitata verba.*

Sed sicut in multis aliis, ita & in hoc displicet Scotus Suario, qui disp. 19. sect. 1. n. 23. Merito; inquit, reprehenditur Scotus, quod differentiam constituerit inter formam hujus Sacramenti, & Baptismi vel Eucharistia;

acsi non sint necessaria determinata verba in hac forma, sicut in illis, vel magis in illis, quam in hac; est enim hoc fallum, ut constat ex generali doctrina de Sacramentis in genere. Hæc Suarius. At non audiendus.

Constat quidem ex generali doctrina de Sacramentis in genere, in omnibus formis, quæ constituuntur ex verbis formalibus, necessaria esse determinata verba, saltem quoad sensum & significationem, id est, non sic determinata quoad illa materialia verba, quibus Ecclesia communiter utitur, quin synonyma vel æquivalentia possint sufficere; at tamen in omnibus formis æqualiter esse determinata verba à Christo, potius repugnat generali doctrinæ de Sacramentis in genere, ut patet ex dictis disp. 1. sect. 3. concl. 2.

Clarum enim est, Christum in individuo determinasse verba Consecrationis: *Hoc est corpus meum*. Verba autem Ordinationis in individuo, reliquit determinationi Ecclesiæ, & ideo unam formam majorem variationem admittere, quam aliam: nam cum utraq; Ecclesia in Sacramento Eucharistia utatur illis verbis: *Hoc est corpus meum*; æquidem diversissimis verbis utitur in Sacramento Ordinationis, ut videbimus proprio loco.

Cum ergo Christus instituerit Sacramentum Pœnitentiæ per modum judicii, & formam absolutionis per modum sententiæ judicariæ; neque determinaverit in individuo certam aliquam formam verborum, quibus Sacerdos in hoc judicio necessariò deberet uti, quid mirum, si non sit necesse esse ita præcisa verba in hoc Sacramento, sicut in Baptismo, vel Eucharistia? Quippe formulæ judicariæ, quibus utuntur Judices ad proferendam sententiam in aliis materiis, diversissimæ sunt, cum tamen verba, quibus volumus rem aliquam simpliciter enuntiare seu significare nobis præsentem, communiter sint eadem.

Ex quo fit ut licet hæ formulæ sufficiant in Sacramento Pœnitentiæ: *Inbeo te absolutum. Do tibi reconciliationem. Placet te esse absolutum. Placet quod tu absolvaris, vel, quod absolvatur hic homo*; at tamen non valeant hæ formulæ Consecrationis: *Inbeo hoc esse Corpus Christi. Do tibi Corpus Christi. Placet hoc esse Corpus Christi. Placet quod hoc sit Corpus Christi*. Aliud enim est simpliciter enuntiare, *Hoc est Corpus meum*, aliud imperare, ut constat. Jam autem per imperium judices solent in iudicio reos absolvere.

Immeritò ergo Scotus reprehenditur, qui nunquam negavit Baptismum vel Eucharistiam posse confici per verba æquivalentia ordinariæ formæ, sed tantum voluit magis esse determinatam formam Baptismi, vel Eucharistia, quam Pœnitentiæ, quod verissimum est.

Arriaga disp. 50. n. 38. Mihi, inquit, videtur melius discurrendum, si consequenter dicamus, ea verba etiam esse valde pro Eucharistia.

50. Sed non est audiendus.

Christus in Eucharistia determinavit verba in individuo.

51. Scotus in Summa contra Pœnit.

52. Non valet hæc formulæ Consecrationis: *Inbeo hoc esse Corpus Christi*.

53. Oppositum docet Arriaga, & probat.

rística. Quod enim Christus dixerit: *Hoc est Corpus meum*, non propterea probat, ipsum non voluisse fieri validè Consecrationem per verba æquivalentia; alioquin non possemus validè consecrare dicendo: *Hoc est Corpus Christi*, vel in Calice dicendo: *Hic est Sanguis Christi*, quia ipse dixit: *Hic est Calix Sanguinis mei*; aut, si juxta Mattheum & Marcum Christus dixit: *Hic est Sanguis meus*, non possemus nos consecrare dicendo: *Hic est Calix Sanguinis mei*; id quod appetit falsum est.

Probat a. Quod præterea dicebatur, aliud esse enuntiativè proferre: *Hoc est Corpus meum*, aliud vero jubere, ut sit Corpus Christi, non urget nos; quia pro Consecratione Sacerdos ita loquitur enuntiativè, ut simul efficiat, quod dicit, ac proinde etiam loquitur auctoritativè, seu tanquam potestatem habens efficiendū quod dicit; ac proinde poterit jure optimo imperare seu dicere, *Placet*: seu, *inbeo ut hoc sit Corpus Christi*. Denique sicuti enuntiativè illi propositioni, *Ego te absolvo*, æquivalent illæ aliæ: *inbeo ut absolvaris &c.* & ideo eas dicimus sufficientes; ita longè cum majori Consequentiâ illi enuntiativæ: *Hic est Corpus meum*, dicemus æquivalere eas: *Hoc sit Corpus Christi*, seu, *Volo, inbeo ut hoc sit Corpus Christi*. Hucusque Arriaga.

Respondeo ad primum; Christus voluit fieri validè Consecrationem per verba æquivalentia; & ideo possumus consecrare dicendo: *Hic est Calix Sanguinis mei*; estò Christus dixisset: *Hic est Sanguis meus*, & vice versâ dicendo: *Hic est Sanguis meus*, estò Christus dixisset: *Hic est Calix Sanguinis mei*. Ergo etiam dicendo: *Hic est Sanguis Christi*, negatur Consequentiâ; quia probabilis hæc forma non æquivaleret, ut diximus disp. 4. sect. 3. concl. 7.

Ad secundum: fateor, Sacerdos ita loquitur enuntiativè, ut simul efficiat, quod dicit; ergo poterit jure optimo imperare seu dicere: *Placet*, seu, *inbeo ut hoc sit Corpus Christi*; Respondeo negando Conseq. Primò: quia *ly Corpus Christi*, non æquivaleret *ly Corpus meum*, ut communis docetur. Secundò; quia scimus Christum, in cujus persona Sacerdos conficit hoc Sacramentum, usum fuisse verbis enuntiativis, & non constât Ecclesiam unquam attentasse aliis verbis consecrare.

Præterea omnes fatentur, in judiciis humanis verba imperativa æquivalere enuntiativis; & Christum, uti statim dixi, non determinasse certam formam verborum, quibus Sacerdos in judicio Sacramentali necessario deberet uti, neque certâ formâ usum fuisse, cum nec Scriptura, nec Traditio testentur ipsum aliquando administrasse Sacramentum Pœnitentiæ. Quid ergo miramur, si illi enuntiativæ: *Hoc est Corpus meum*, non æquivalent hæc imperativa: *Inbeo ut hoc sit Corpus Christi*, estò illi propositioni: *Ego te absolvo*, æquivalent

illæ aliæ: *Inbeo ut absolvaris &c.* Atque ut etiam priores propositiones æquivalent, equidem quod longè cum majori Consequentiâ dicemus, æquivalere eas, ut loquitur Arriaga, non facile creditur propter nudum assertum istius Auctoris.

His suppositis de mente Scoti, facilis est probatio Conclusionis; quia videlicet omnes illæ formulæ expriment actum sententiæ absolventis, & ipsis utuntur iudices ad profertendam sententiam in aliis materiis.

Sola postrema formula aliquam patitur difficultatem, propterea quod directè & explicitè non significet Sacerdotem absolventem, uti forma ordinaria, & aliæ formulæ æquivalentes, unde si illa significatio est omnino necessaria, videtur quod ultima illa formulæ: *Absolvat te Deus*, seu, *Absolvatur talis servus Christi*, etiam in sensu imperativo non sufficiat.

Nihilominus persistimus in Conclusionè & dicimus, non esse necessitatem absolutam aliter significandi personam ministri in hoc Sacramento; quàm in Sacramento Baptismi. Si ergo valet hæc forma Baptismi: *Baptizetur tu Deus*, seu, *Baptizetur talis servus Christi* (propterea valere probavimus disp. 2. sect. 2. concl. 2.) nescio, quare non similiter valet hæc forma Sacramenti Pœnitentiæ: *Absolvat te Deus*, seu, *Absolvatur talis servus Christi*, in sensu imperativo.

Dices, diversitas est, quod idem sit, qui profert verba illa: *Baptizetur &c.* & qui baptizat re ipsâ. At in Absolutione nulla penitus actio ponitur exterior, ratione cuius, quando dico: *absolvatur talis servus Christi*, possit constare, quod ea Absolutio veniat à me, magis quàm ab aliquo alio.

Respondeo I. secundum Rituale Romanum allegatum concl. 1. etiam in Absolutione ponitur aliqua actio exterior: ait enim Rituale: *Deinde dextera versus penitentem elevata dicit: Indulgentiam &c.* Actio ergo exterior, elevatio dextera, in signum, quod ipse qui profert verba, sit minister Absolutionis, & non quilibet alius. Præterea signum externum potest esse impositio Satisfactionis seu Pœnitentiæ: vel etiam signum Crucis, quod solet Sacerdos efformare; quando dicit: *In nomine Patris &c.*

Resp. II. estò nulla actio exterior intervenire, sicut posset contingere; quia actiones jam enumeratæ non sunt de essentia Sacramenti, sicut bene ablutio exterior est de essentia Baptismi; inde ad summum sequitur, clarè in casu baptizandi intelligi illud ablativum, *A me*, quàm in casu Absolutionis, si expressè non addatur.

Interim sufficienter intelligi, probatur, quia sensus imperativus in judiciis humanis æquivaleret indicativo, veluti si Princeps, vel alius, qui

§ 4.
Responso
ad 1. proba-
tionem.

Responso
ad 2.

§ 5.
In judiciis
humanis
verba im-
perativa æ-
quivalent
enuntiativis.

qui habet ab illo potestatem liberandi à vinculis, imperet liberationem hæc formâ verborum: *Talis liberetur*, idem valet ac si diceret: *Talem libero à vinculis*: ita ut sibi ipsi magis censetur, quamvis impropiè, imperare, quàm alteri. Ergo similiter, quando Sacerdos auditâ Confessione diceret: *Talis absolvatur*, idem valet ac si diceret: *Talem absolvo*.

Si istes, saltem hæc forma: *Absolvat te Deus*, vel, *Talis absolvatur à Deo*, non æquivalet huic quoad sensum: *Absolvo te*, vel, *Talem absolvo*, non enim sibi imperat, sed Deo; adeoque significat Absolutionem provenire à Deo, & non à se.

Respondeo; imperat Deo (si ita placeat loqui) id est, potestatem, à Deo sibi communicatâ, significat efficac suum desiderium, quod habet, ut Deus tali homini remittat peccatum. Non vult ergo novam sententiam absolventem; sed vult effectum suæ propriæ sententiæ absolventis, quem effectum solus Deus potest causare, & teneret ex promissione sua causare, quoties Sacerdos, præviâ Confessione pœnitentis, hujusmodi verbis suam volitionem significat.

Sicuti si Princeps, auditis respectivè partibus, diceret: *Custos carceris talem liberet à vinculis, quibus tenetur adstrictus*, non custos solvens vincula, cenletur reum juridicè, & per sententiam liberare; sed solus Princeps mandans liberationem; quamquam & custos liberet, tanquam executor sententiæ Principis. Sic ergo in præsentî, non imperatur Absolutio, id est, nova sententiâ juridicè absolvens à peccatis (nam sententiâ Dei; & Sacerdotis eadem est) sed effectus seu executio sententiæ lata; quæ est propria soli Deo, cum de facto non remittantur peccata, nisi per infusionem gratiæ sanctificantis, cujus causa efficiens physica, misericors Deus, qui gratuitò abluat & sanctificat.

Urget: si Papa, accedentem ad se pro Absolutione à censura aliqua, mitteret ad Pœnitentiarium suum dicens: *Absolvat te Pœnitentiarius meus*, non censeretur Papa, illis verbis ipsum absolvere; sed dare commissionem Pœnitentiario absolvendi. Et ratio à priori est, quod aliud sit, mandare ut absolvatur, aliud verò, absolvere; uti aliud etiam est, mandare ut talis consecratur Episcopus aut Sacerdos, aliud verò, illum consecrare.

Respondeo; planè aliud est; mandare consecrationem Episcopi, & physicè ipsum consecrare, sicuti aliud planè est, mandare occasionem Petri, & physicè Petrum occidere; mandare ædificationem templi, aut dare sumptus necessarios ad ædificandum, & physicè templum ædificare; interim mandans consecrationem, mandans homicidium, mandans ædificationem templi, moraliter dicuntur consecrare, occidisse, ædificasse; nisi velis cum

Arriaga disp. 49. n. 12. voeem, *Consecratio*, non accipi ordinariè, nisi pro eo, qui physicè consecrat, ideòque non tribui ei, qui conlecrare mandavit.

Nec propterea, inquit ille, valet argumentum ad alias voces etiam synonymas; nam consecrare in Episcopum, & facere Episcopum, idem omnino sunt, & tamen de illo, qui alterum ad Episcopatum promovit, dicimus: *Ille fecit hunc Episcopum*, & tamen non dicimus: *Consecravit hunc in Episcopum* Hæc ille.

Sane omnes sic loquuntur; *Iste Princeps edificavit hoc sacellum*, etsi solùm ædificaverit moraliter per suam mandatum. Et consimiliter, omnes admittunt hæc locutionem; *Talis Iudex occidit talem reum*, etsi solùm occiderit moraliter per sententiam. Et verò applicans ignem stupræ, nonne ab omnibus dicitur eam comburere? Si ergo Sacerdos tantam habet vim, ut significatâ suâ voluntate absolvendi, Deus ex prævio suo decreto necessitetur ad remittendum peccata, jure merito dicitur Sacerdos remittere & absolvere, estò ipse non sit physica causa remissionis.

Ad instantiam de Papa, respondet Arriaga supra; Si ille obliget Pœnitentiarium ut absolvat à censura, rectissime etiam dici ipsam Papam tunc absolvisse eum hominem. Hæc ille. Et si quæris à me rationem, ad manum est; quia tali causa Pœnitentiarius tantum constituitur cognitor causæ, & executor Absolutionis, jam virtualiter illis verbis à Pontifice concessæ. Aliud est, quando manet nihilominus libera facultas Pœnitentiario absolvendi, vel non absolvendi; tunc enim per illam formulam verborum conceditur potestas absolvendi Pœnitentiario, si fortè illam non habeat, vel si aliunde habet potestatem, significat Pontifex, se pro nunc nolle uti suâ potestate; sed illam Absolutionem relinquere potestati sui Pœnitentiarii.

Sed nunquid manet liberum Deo remittere peccata, quando Sacerdos, auditâ Confessione, imperat quodammodo Deo dicens: *Absolvat te Deus*, vel, *Absolvatur talis servus Christi à Deo* Minime, sed sicut antea dixi, suppositâ institutione Sacramenti necessitetur ad illam remissionem. Quidni ergo Sacerdos rectissime dicatur talem hominem absolvere, & remittere ejus peccata? Non clarè video quid obster.

Lugo disp. 13. n. 106. existimat hæc formam dubiam: *Absolvat te Deus*; si addatur, *per me* omnino validam; quia tunc satis significatur effectus, prout ab ipso absolvente procedit. Idem credit, si diceretur absolute, *Absolvatur servus Christi*; quia ibi imperatur ipse effectus, & per consequens significatur sufficienter actio ministri.

Verum puto jam satis clarè probatum, etiam ibi imperari effectum: *Absolvat te Deus*, vel, *Absolvatur servus Christi à Deo*, & per consequens;

61. A voce cõsa ferare ad alias voces synonymas non valet argumentum. Arriaga.

Procurans aut præcipies alie quid fieri, sæpe dicitur causa efficiens.

62. Responsio Arriagæ ad instantiam de Papa.

63. Sententia Lugonis de hac forma: Absolvat te Deus.

sequens, sufficienter significari actionem ministri, cum imperium dicat essentialem ordinem ad imperantem.

64. Cur autem non valeant illæ formulæ in sensu deprecativo; ratio sumitur ex institutione hujus Sacramenti per modum iudicii: ergo forma debet proferri per modum sententiæ, porro sententia in iudiciis humanis, non profertur verbis deprecativis; sed enunciativis, vel imperativis.

Unde Christus non dixit Joan. 20. pro quorum remissione peccatorum oraveritis, remittentur eis; quemadmodum Jacobus Apost. c. 5. loquens de Sacramento Extremæ Unctionis, ait v. 14. & 15. *Infirmator quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo; & oratio fidei salvabit infirmum, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Non sic, inquam, loquitur Christus de Sacramento Pœnitentiæ, sed inquit: *Quorum remiseritis peccata, remittantur eis.* Non ergo promissa est remissio peccati in hoc Sacramento, uti in Sacramento Extremæ Unctionis, orationi; sed remissioni Sacerdotis.

65. Confirmatur ex usu Ecclesiæ Latinæ, secundum quem preces quedam, ut ait Concilium Trid. sess. 14. c. 2. *laudabiliter adiunguntur, ad ipsius tamen forme essentialiam nequaquam spectant.*

Nec aliud omnino convincunt exempla, quæ adducit Morinus lib. 8. cap. 10. ut probet Ecclesiam Latinam aliquando usam fuisse in hoc Sacramento formam deprecativam.

Nonne in antiquo manuscripto Abbatie S. Remigii litteris longobardicis scripto, reperitur hæc forma: *Ego dirimunt vos absolvo à vinculis peccatorum vestrorum?* Qui codex (inquit Morinus supra) videtur sexcentis annis antiquior. Item in egregio & antiquo S. Gregorii Sacramentario (quod aservatur in Bibliotheca Ecclesiæ Metropolitanæ Turonensis) in fine sic concluditur: *Cuius nos virtute freti, & clementiâ confisi, humiliter imprecantes pietatem suam, absolvimus te à vinculo tuorum omnium delictorum.* Has autem, & similes formas, nunquam fuisse sacramentales, sed dumtaxat ceremoniales, dicit quidem Morinus, sed non sufficienter probat. Enimvero eadem forma in diversis circumstantiis potest esse ceremonialis & sacramentalis; v. g. hæc forma, *Ego te absolvo &c.* prolata à Sacerdote super pœnitentem præviâ confessione peccatorum in specie & numero, proculdubio est sacramentalis: at verò prolata à Superiore super subditos suos capitulariter congregatos (sicut apud nos fieri solet quater in anno) præmissâ solum generali Confessione, indubiè solum est ceremonialis.

66. Quantum ad usum Ecclesiæ Græcæ, quamvis in Euchologio seu Rituali illius Ecclesiæ non appareat forma Absolutionis nisi deprecatoria, quæ Sacerdos pro pœnitente Deum

rogat, ut condonet peccata; nihilominus Græcos uti formam absolutam & indicativam, pro comperto habet Jacobus Goar in notis Euchologii in Oraciones super pœnitentes.

Accepta enim occasione à verbis pœnitentis: *Precor ut veniam mihi erogas, absolvere consueverunt dicendo: Habeo te condonatum, seu, veniam donatum, aut, sis condonatus.* Quod perinde est ac si diceretur: *Facio te veniam donatum.* Absoluta enim locutio potest imperativè enunciari, sicut in ordinatione Sacerdotis, *hy accipe potestatem; idem est quod; Do tibi potestatem.*

Abstinent autem Græci ab indicativo agnivo, eò quòd id excellentiam quandam sonet, ac ne minister sibi auctoritatem arrogare videatur. Unde Episcopus apud illos dicit (ut refert Goar supra) *Humilitas meâ habet te condonatum; Patriarcha verò, Metropolitans meâ habet te condonatum.* Potuitque similis forma, etiam in Euchologiis non expressa, esse per Traditionem accepta, prout accepta est forma Latinorum, quæ similiter in antiquioribus Ritualibus, vel Sacramentariis, vel Scripturis non reperitur expressa. Quare non fuit desuper Græcis in Florentino mota questio, nec eis, veluti rectè sententibus & praticantibus data instructio, qualis & quidem ampla fuit data Armenis. Ita Hericæ disp. 1. n. 259.

Ut sit de expressione formæ Latinorum in antiquioribus Ritualibus vel Sacramentariis (de qua egimus n. præced.) certum esse debet apud omnes, hanc formam non fuisse primò institutam à Conc. Trident. neque à Conc. Florent. Ostendatur ergo à quo Pontifice vel Concilio fuerit primò instituta, vel dicatur per Traditionem accepta.

Frustrâ porro contendit Morinus supra, illa exempla Ecclesiæ Græcæ intelligenda esse de absolutione à censuris, ut ostendo in primò ex Gabriele Severo Philadelphia Metropolitano, qui in tract. de Sacram. cap. de Pœnit. sic ait: *Forma Pœnitentiæ est potestatis à Servatore nostro concessa solè ipsius sanctis discipulis & Apostolis, quam tradentes universæ veteri Episcopis, ministris & sibi succedente traditione operari iusserunt; dicit enim Dominus, ut in antecedentibus iam relatam est: Quæcumq; ligaveritis &c. ideo legitimi sancti eccl. omologestis administrati, peccatori ad eos venient dicunt: Gratia sanctissimi Spiritus per meam humilitatem habet te veniam donatum & absolutum. Præterea ex Simeone Archiepisc. Thess. qui post absolutionem ab excommunicatione in suo de septem Sacramentis libello cap. de Pœnit. habet hanc formam: *Humilitas nostra per gratiam & donum &c. condonatum habet siliam suam N. in omnibus in quibus ipsa ut homo in Deum peccavit & peccata est verbo, opere, mente, & omnibus sensibus suis.* Plures formas indicativas, quibus modò utuntur aliqui Græci, vide apud Jac. Goar supra.*

Et reverè,

Et reverà, si tempore Concilii Florentini Græci utebantur solâ formâ deprecatoriâ, cur illam non recenluit Concilium, sicuti recenluit formam Baptismi, quâ tunc Græci utebantur, & adhuc de facto utuntur? Signum ergo est, quòd usi fuerint formâ indicativâ, licet, ad instar Ecclesiæ Latinæ, ad junxerint laudabiliter aliquas preces.

Dices, quidquid sit de tempore Concilii Florentini, constat quòd tempore Clementis VIII. Græci utebantur solâ formâ deprecatoriâ; nam hic Pontifex Const. 34. apud Chæribinum §. 3. sic statuit: *In casu necessitatis Presbyteri Græci Catholici possunt Latinos absolvere. Vtuntur formâ Absolutionis in Generali Concilio Florentino prescriptâ, & postea, si voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma baptismi Absolutionis dicere tantum consueverunt.*

Respondeo; vel ex illa ipsa Constitutione patet, Ecclesiam Romanam; quæ sola est columna & firmamentum veritatis, illum usum Græcorum, quicumque fuerit particularis, vel uniuersalis, reprobare & reprobare. Unde patet curandum, quâ formâ Ecclesia schismatica vel de facto utatur, vel aliquando usa fuerit; eum sicuti in aliis multis, ita & in hoc puncto posse & poterit errare.

De cætero, occasione precum tum præcedentium formam essentialem, tum subsequentium in Ecclesia Latina, non incongruè ipsa forma essentialis vocatur oratio; sicuti totum quod dicitur in officio divino, dicitur oratio, licet etiam legantur Historiæ, quæ secundum se solùm sunt narratio. Adde, verba essentialia implicitè continere orationem, quâ Sacerdos nomine Christi, cuius gerit vices, efficaciter petit remissionem peccati.

Et ita intelligo D. Hieronymum in Psalms 28. ubi circa illa verba: *Vox Domini intercedenti flammam ignis*, sic ait: *Quod die in unoquoque nostrum flammam libidinis per Confessionem & gratiam spiritus sancti intercedit, id est, per orationem Sacerdotis (quâ utique post Confessionem absolvit à peccatis) facit cessare.*

Item quod scribit S. Leo Epist. 91. aliàs 89. (& refertur de Pœnit. dist. 1. c. 49.) *Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam spes vite reparatur æterna: ut qui regenerationis donum violassent, proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent; sic divine bonitatis præstitis ordinatis, ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri.*

Nimis manifestum est, formam essentialem, quâ Ecclesia Latina modò utitur, non esse explicitam & propriè dictam orationem; ergo illa verba SS. PP. & alia similia, necessariò intelligenda sunt, vel de oratione implicita & improprie dicta, vel de propriis orationibus, quæ laudabiliter adiunguntur, quamvis non spectent ad essentialiam.

Nonne & SS. Patres formam Consecrationis Corporis & Sanguinis Christi, appellant orationem? S. Ambrosius lib. 4. de Fide ad Gratianum c. 5. inquit: *Nos autem quotiescumque Sacramenta sumimus, quæ per sacra orationis mysterium in Carnem transfigurantur & Sanguinem, mortem Domini annunciamus: Per sacram orationem transfiguratur panis in Corpus Christi.* Et S. Augustinus lib. 3. de Civit. c. 4. ibi: *Nec linguam eius (Apostoli Pauli) nec membranas, nec atramentum, nec significantes sonos linguæ eductos, nec signa litterarum conscripta pelliculis, Corpus Christi & Sanguinem dicimus; sed illud tantum, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mysticè consecratum, rite sumimus ad salutem spiritualem, in memoriam pro nobis Dominiæ Passionis.*

Sed nunquid ideo forma Consecrationis propriè dicta oratio? Putas quia hæc forma æquivalet ordinariæ: *Rogo ut hoc sit Corpus Christi?* Nemo id docet. Ergo similiter in casu Absolutionis; & amplius, quia Absolutio est sententia.

Unde licet Baptismus probabiliter valeat collatus sub hac forma verborum: *Baptizet te Christus*, in sensu deprecativo, ut videre poteris disp. 2. sect. 2. concl. 2. equidem negatur Cõsequentiæ; ergo etiam valebit Sacramentum Pœnitentiæ collatum sub hac forma verborum: *Absolvat te Christus*, in sensu deprecativo.

Ratio disparitatis jamjam est assignata; quia unum Sacramentum institutum est per modum iudicii, aliud non: Iudicis autem non est rogare vel deprecari; sed auctoritative propriè, vel delegatè potestate absolvi, aut condemnare.

Atque eadem est ratio diversitatis inter Sacramentum Pœnitentiæ, & Sacramentum Extremæ Unctionis; ut non tangam rationes convenientiæ, quas Aliqui assignant pro Extr. Unctione, videlicet quòd aliquis ejus effectus, puta, sanitas corporalis, non semper sequatur. Denique quòd infirmus sit quasi jam extra Ecclesiam constitutus in manibus solius Dei, ut proinde non immeritò pro illo, Deo preces offerantur.

Similis etiam differentia cernitur inter potestatem absolvendi à peccatis, & potestatem curandi infirmos, concessam Apostolis Matth. 10. & Luc. 9. quam liquet non esse potestatem judicialem, & ideo non mirum, si Apostoli eam exercebant verbis deprecatoriis.

Sed dicit aliquis; saltem Absolutio à censuris est sententia aliqua judicialis, & tamen exerceri potest verbis deprecatoriis.

Resp. I. etiam exerceri potest per scripturam, nuntum, aut aliud signum æquivalens, nisi obliet jus positivum Ecclesiæ; ergo similiter Absolutio sacramentalis à peccato, non valet Consequentiæ; quia Sacramentum debet fieri secundum institutionem Christi; Absolutio autem à censuris, uti etiam inflictio censuræ, pendet ab institutione hominum.

70.

SS. Patres aliquando vocant formam Consecrationis orationem.

S. August.

71.

Disparitas inter Baptismum & Pœnit.

Item inter Extr. Unctionem & Pœnit.

potestatem absolvendi & curandi infirmos.

72. Obiectio.

Solvitur eq.

Solvitur 2.

Rit. Rom.

Respon. II. neque Absolutio à censuris fit per verba deprecatória, ut patet ex communi usu, & præscripto Ritualis Rom. Tit. de Sacramento Penitentia; ibi: Dominus noster Iesus Christus te absolvat: & ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis &c. Et infra pro foro externo: Dominus noster Iesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius, & Sanctissimi Patris nostri Papæ (vel Reverendissimi Episcopi N. vel talis Superioris) tibi commissâ absolvo te à vinculis excommunicationis, in quam incurristi (vel, incurrisse declaratus es) propter tale factum, vel, causam &c. & restituo te communioni & unitati fidelium, & sanctis Sacramentis Ecclesie, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Ubi manifestè præter deprecationem illam: Dominus noster Iesus Christus te absolvat, quæ alioquin deberet sufficere, additur forma iudicativa: Ego te absolvo &c.

73. Alia objectio.

Restat adhuc una objectio, quæ talis est: hæc verba, *Parcat tibi Deus*, secundum communem usum æquivalent his: *Ego parco tibi*: nempe qui dicit: *Deus ignosce illi*, eo ipso ex parte sua significat se ignoscere; potissimum quando idem est ius Dei & hominis, uti in casu præsentis.

Responsio Lugonis.

Respondet Lugo disp. 13. n. 103 licet idem sit ius Dei, quòd Deus & Sacerdos Dei nomine possunt remittere; adhuc non est idem, Sacerdotem illud velle remittere, aut velle, quòd Deus ipse remittat. Explicari hoc potest in Confessario; potente dispensare v. g. ex facultate Pontificis in aliquo voto, qui tamen non censetur dispensare, tamen dicitur: *Pete à Pontifice ut dispenses*; quia nimirum, licet objectum dispensationis esset idem respectu Pontificis & inferioris Confessarii; actualis tamen dispensatio vel Absolutio esset diversa; & possum ego desiderare & petere, quòd tollatur hoc ius per dispensationem Pontificis, & nolle quòd tollatur per meam. Ergo similiter posset Sacerdos petere, quòd Deus absolvat penitentem, absque eo quòd velit ipsemet Sacerdos eum absolvere. Hec Eminentissimus.

Et indubiè defectu intentionis fieri potest, ut illa verba non sufficiant; sed quòd queritur est, an si adfit debita intentio Sacerdotis; significandi per ista verba voluntatem eum absolvendi, reverà sacramentaliter absolvat. Ad quam questionem

74. Hæc verba: Deus ignosce illi, non significant formaliter voluntatem absolvendi.

Respondeo; non absolvere sacramentaliter, si verba ista accipiantur in sensu deprecativo, de quo iam tractamus; quia reverà, quamvis ille, qui deprecatur seu petit ab alio, ut ignoscat, haberet voluntatem ignoscendi; tamen illis verbis formalibus, sive formaliter hoc non significat; sed ad summum arguitur, quatenus arguimus eum, qui desiderat condonationem alterius, condonare etiam ex parte sua; quæ tamen arguitio potest esse falla, quia posset aliquis, habens potestatem v. g. dispensandi in

voto, nolle dispensare propter scrupulum aliquem, vel etiam, quia verè dubitat de sufficientia causæ & tamen petere ab alio & desiderare ut ipse dispense, suppositis supponendis, id est, si ipse iudicet causam sufficientem.

Ergo præcisè illa verba: *Deus ignosce illi*, non significant formaliter voluntatem absolvendi in communi usu loquendi, cum possint absolute esse vera, tamen Sacerdos non haberet voluntatem ex parte sua absolvendi, sed positivam nolitionem, eò quòd dubitet de sufficienti dispositione penitentis, aut certè ipse iudicet eum indispotum; interim quia cogitat se hominem fallibilem; desiderat, & petit ut Deus illi ignoscat, si verè dispositus est ad remissionem peccatorum extra Sacramentum.

Quis enim neget, Confessarium penitentem indispotum posse natus imponere, cum illa oratione: *Miserere mihi* &c. *Indulgentiam absolventem* &c? Imò oportet sic facere, quando periculum est, ne circumstantes advertant eius indispotionem. Igitur absolvere non est idem, quòd petere veniam alteri vel desiderare; sed significat actum potestatis nostre, quo cedimus iure nostro, vel alterius; cuius personam gerimus.

Ex quo patet discrimen inter verba *Absolvi te Deus*; quæ æquivalent his: *Benedicere tibi*; & *Benedicere* in sensu Ecclesiastico; & secundum communem usum hominum, nihil aliud significat; quàm bonum precari: qui autem precatur alteri benedictionem Dei, magnum profectò bonum precatur.

Ceterùm si à me queritur; quare ergo D. Augustinus lib. 50. Homil. Homil. 23. reprehendat illos, qui dicunt: *Ego peccata dimitto*; *Ego iustifico*; *Ego sanctifico*? Respondetur; reprehendit Hæreticos, volentes illis verbis significare se principaliter; & propriis meritis remittere peccata.

Patet ex contextu: *Iudæi*, inquit, *dixerunt*: *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? An dicit sibi homo hoc usurpare? Quid contra Hæreticum? Ego dimitto*; ego mundo, ego sanctifico. *Respondet illi; non ego, sed Christus*: O homo, quando ego à Judæis putatus sum homo, dimissionem peccatorum fidei dedi. *Non ego, sed respondet tibi Christus*. O Hæretice, ut cum sis homo, dicit, *Veni mulier, ego te salvam facio*: *Ego cum putaret homo, dixi*: *Vade mulier, fides tua te salvam fecit*. *Respondent nescientes, sicut ait apostolus*, *neque quæ loquuntur*; neque de quibus affirmant: *Respondens & dicit*: *Si non dimittunt homines peccata, falsum est quòd ait Christus*: *Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in Cælo*. *Nescis quare hoc dictum sit, quomodo dictum sit? Daturus erat Dominus hominibus Spiritum sanctum. & ab ipso Spiritu sancto Fidelibus suis dimittit peccata, non meritis hominum valebat intelligi dimitti peccata.*

Vis autem audire, quia non semper per se

immediatè Spiritus sanctus dimittit peccata, sed læpe per hominem? Paucis interjectis subiungitur: Deus ergo habitat in templo suo, hoc est, in sanctis suis fidelibus in Ecclesia sua, per eos dimittit peccata, quia viva templa sunt. Sed qui dimittit per hominem, potest dimittere & præter hominem. Igitur de mente D. Augustini non est relicta dubitandi locus.

Dubitatur verò, an etiam hæc formula æquivalcat: Absolvitur talis servus Christi. Et quidem pro parte affirmativa facit, quòd cum Christus Luc. 5. v. 20. dixisset Paralytico: Homo remittuntur tibi peccata tua, à circumstantibus ita fuerint accepta verba ista, ac si dixisset: Remitto tibi peccata tua (quæ absque dubio æquivalent formæ ordinariæ) dicebant enim: Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? Porro Christus approbavit illum intellectum; nempe continuo attestavit: Vt cognovit autem Iesus cogitationes eorum, respondens, dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus vestris? Quod est faciendum dicere: Dimittuntur tibi peccata, an dicere: Surge & ambula? Vt autem sciatur, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittenda peccata, ait Paralytico: Tibi dico, surge &c.

Confirmatur tùm ex forma Baptismi, quæ utantur Greci: Baptizatur talis servus Christi &c. tam exemplo in humanis, ut puta, si creditor diceret suo debitori: Remittuntur tibi totum debitum, videretur omnino illud condonasse. Item si Pàpa diceret: Datur tibi talis præbenda, aut, dispensaris in tali impedimento, omnes apprehenderent validam tollationem beneficii, aut validam dispensationem. Et consimiliter si iudex, auditis partibus, sedens pro tribunali, diceret: Petrus damnatur ad mortem, vel, Petrus absolvitur à tali crimine, nemo dubitaret de valore ejusmodi sententiarum.

Ideo hæc formam Absolutionis: Remittuntur tibi peccata valere, docet Henriquez lib. 1. de Sacramento Pœnit. cap. 11. n. 4. & Joannes Poncius in Cursu Theologico disp. 46. nu. 12. ibi: Fortassis Hiquæus voluit, quòd non debeat verbum indicativum expressè poni. In ejus discursu adverte, per errorem Typographi mihi videri loco; Dimittuntur tibi peccata, quæ forma bona est, & etiam indicativa, irrephisse; Dimittantur tibi peccata, quæ non sufficit; quia non significat absolutum per sententiam judicalem ministri magis, quàm forma deprecativa; & propterea non potest sufficere; nec potest dici; Hiquæum virum doctissimum, dum deprecativam rejecerat, hæc approbasse. Hæc ille.

Sed non est, quòd excuset Magistrum tuum Ponci; neque enim propterea desinet esse doctissimus; quia docuit, quòd multi viri docti docent, videlicet, illa verba: Dimittantur

tibi peccata, valere in sensu imperativo. Enimverò ipsa ratio naturalis approbat distinctionem modi imperandi, à modo deprecandi; imperium quippe signum superioritatis est & auctoritatis, quo proinde utuntur iudices humani in ferendis sententiis; deprecatio verò signum est subjectionis & inferioritatis, quæ proinde nunquam utuntur iudices humani.

Si dixeris; discrimen illud solùm est in intentione & mente loquentis, non in externa expressione & forma: ac ipsa externa forma debet esse per se expressiva sensus requisiti.

Respondeo, hæc formam externam: Dimittantur tibi peccata, per se exprimeret utrumque sensum, deprecativum videlicet, & imperativum, licet ambiguit, & ideo per intentionem, aut alias circumstantias, debet determinari ad alterum ipsorum. Sicuti hæc verbat Hoc est Corpus meum, per se significat corpus loquentis, id est, Sacerdotis, qui ea profert, interim per intentionem ipsius, & alias circumstantias determinatur ad significandum Corpus Christi. Si hæc determinatio non repugnat formæ Consecrationis, cur determinatio ad sensum imperativum repugabit formæ Absolutionis?

Itaque doctissimè rejecit Hiquæus formam deprecativam, estò approbasset formam imperativam. An autem Poncius doctissimè approbet formam indicativam: Dimittantur tibi peccata, posset dubitari; quia videlicet illud indicativum, Dimittuntur, videtur aliquibus non satis denotare personam absolventem. Nam illud idem (inquit Arriaga disp. 49. n. 14.) verisimè in his ipsis circumstantiis diceretur, etiamsi Sacerdos non absolveret à peccatis, sed declararet tantùm hominem ab eis esse absolutum.

Quòd autem in casibus supra allatis, homines ex verbis Christi intellexerint, eum ipsum fuisse, qui absolvebat, provenit non tam ex verbis Christi presentibus, quàm ex aliis miraculis, quæ de iplo narrabantur & audiebantur, in quibus tanquam potestatem habens se semper gerebat. Id autem non sufficit, pro forma Sacramenti, in qua ejus significatio debet saltem colligi ex his, quæ fiunt circa ipsum Sacramentum. Hæc Arriaga.

Ad instantiam de Creditore, Pàpa, & Iudice respondeo; ibi cum homines aliunde sciant, Creditorem, Pàpam, & Iudicem habere vim; ut auctoritative vel dispenset, vel absolvat &c. intelligunt, dum illa verba audiunt, eos loqui de nomine suo. At Sacerdos si solùm declararet Absolutionem datam à Deo, posset uti eis verbis, ergo ea verba non habent, unde ostendant Sacerdotem auctoritative absolvere.

Ad instantiam de Baptismo, patet responso ex dictis, ut puta, in Baptismo verba immediate significant abluionem ipsam physicam, cum autem idem sit, qui profert illa

79. Objecti

Solvitur

So.

Non valeret Dimittantur tibi peccata, probatur ex Arriaga.

Responso ad factam Christi.

St.

Respondeatur ad instantiam de Creditore, Pàpa & Iudice.

Item ad instantiam de Baptismo.



verba : *Baptizatur &c.* & qui physicè abluir, estò solùm dicatur, *Baptizatur*, sinè illis verbis, *A me*, eo ipso constat debere illa ità intelligi.

Sed contrà ; etiam homines aliunde sciunt, Sacerdotem expositum audiendis Confessionibus, habere vim auctoritativè absolvendi, ergo dum, præmissâ Confessione, audiunt illa verba : *Dimittantur tibi peccata* ; intelligunt eum loqui nomine suo, & non solùm declarare Absolutionem datam à Deo.

Nec obstat ; quòd etiam illis verbis possit uti, si solùm declararet Absolutionem datam à Deo ; quia etiam his possit uti : *Absolvo te*, in sententia Magistrì, qui putat Sacerdotem solùm declarare Absolutionem datam à Deo, & non verè absolvere à peccatis. Nisi ergo ex voluntate Christi requiratur expressor significatio personæ absolventis in iudicio sacramentali, quàm iudicis in iudicio humano, aut dispensantis in dispensatione, vel creditoris in remissione debiti humani, non omnino in-consequenter admittitur hæc forma valere : *Dimittantur tibi peccata.*

Cæteròquin forma satis dubia est, ut sinè peccato mortali non liceat illà uti, & simile iudicium est de aliis formis similiter dubiis. Sed & usus illarum, quæ certè æquivalent, ad minus erit peccatum veniale, quia contra præscriptum Ecclesiæ, quod planè congruit ab omnibus observari, juxta illud Tridentini sess. 7. de Sacram. in genere can. 13. *Si quis dixerit, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholice ritus, in solemnibus Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sinè peccato à ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse; anathema sit.* Si ritus planè accidentales sinè peccato pro libito omitti, aut mutari nequeant, quantò minus formæ essentielles Sacramento-rum ?

Quamvis ergo hæc formæ certè sufficiant ; Nos te absolvimus à peccatis tuis : *Ego absolvo dominationem vestram &c.* *Ego remitto, condono tibi peccata tua &c.* tu semper utere formâ communi : *Ego te absolvo &c.* si non vis peccare, nisi adsit aliqua iusta causa mutandi.

Mindis utendum sequenti formulâ : *Ego auctoritate Pape absolvo te à peccatis ; de quibus contritus & confessus es.* Nam ab aliquibus dubitatur de ejus valore, eò quòd Sacerdos non absolvat auctoritate Papæ, sed auctoritate Christi, qui Joan. 20. dixit Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.*

Malè (inquit Joannes Hesselius in suo Catechismo cap. 6.) & falsò quidam dicunt : *Ego auctoritate Pontificis, vel, Episcopi te absolvo.* Non enim auctoritate eorum remittunt peccata, sed auctoritate Christi, qui dedit eis potestatem ; quamquam verum sit, Pontificem debere satagere, ut idoneos ministros habeat. Hæc ille.

Si tamen sic absolvens, nihil aliud velle significare illis verbis, quàm potestatem jurisdictionis, quam accepit à Pontifice, vel Episcopo ; & necessaria est ad validam Absolutionem, nihil falsi diceret, sed solùm aliquid superfluum ; unde non videtur, quòd tunc illa verba vitarent formam. Uti nec isthæc *De quibus contritus, perfectè utique vel imperfectè, & confessus es* ; quia licet etiam à non confessis penitens absolvatur, attamen non nisi indirectè. Atque hæc satis de formalis verborum.

Sequitur quæstio non minus intricata de sensu istorum verborum : *Ego te absolvo &c.* cum enim sæpè proferantur, quando confitens vel propter indispositionem est incapax remissionis peccatorum, vel certè jam solutus est vinculis peccatorum per præcedentem Contritionem Charitatem perfectam, aut Absolutionem Sacramentalem ; quæstio gravis est, quomodo in his casibus subsistat veritas illius formæ. Respondeo breviter :

CONCLUSIO IV.

Ego te absolvo &c. idem est quòd : *Impendo tibi gratiam remissionem peccatorum, vel, Remitto tibi peccata tua.*

Non est quòd hic disputem cum Abulensi, qui aliquando pro Conclusionem posuit, ut ipse refert 1. parte sui defensorii c. 1. Licet nullum peccatum cuiuscunque conditionis, & pro quocunque statu irremissibile sit, à pena tamen, aut à culpa Deus non absolvit, nec aliquis absolvere possit. Nam hic Auctor per culpam intellexit privationem debitæ rectitudinis in actu, quæ per se cessat, cessante sive transiente actu positivo ; sicut ergo nemo absolvitur ab illo actu positivo, quia ille non manet, & nihil omnino est eo tempore, quo Deus per Contritionem dicitur nos absolvere, vel Sacerdos absolvit nos in Sacramento, ità neque à culpa, quæ est accidens suum privativum. Ità se ipsum explicat cap. 5.

Et cap. 6. notat Scripturam sacram nunquam uti isto modo loquendi, scilicet quòd quis absolvatur à culpa ; utitur autem illis verbis circa peccatum, scilicet dimittere, & auferre, & remittere, & tollere, & delere, & relaxare, & donare.

Et si objiciatur, inquit, quòd Matth. 16. dicitur : *Quocunque solveris super terram, erit solutum & in Cælis*, seu, *in Cælo*. Dicendum, quòd non prædicatur solvere de peccato, ut aliquid peccatum dicatur solvi, sed prædicatur de homine, ità ut homo dicatur solvi de pec-

82. Sed contra arguitur ab Auctore.

83. Non licet uti illà formâ sinè gratiâ peccato, sicut nec aliis similiter dubiis.

Cano. Trid.

84. Quid dicendum de hac forma, *Ego auctoritate Pape &c.*

Inq. 20.

Joan. Hesselius.